Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Hic tractatus juxta Card: Bona & Mabillo-
nio D: Ogerio Abbati Lucediensi describitur
tomo 2.

Domine meditare tene

xiiij.

Diuiditur in sermones 15

Ante diem festum pasce sciens ihc quia
uenit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem
cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos. Au
distis dilectissimi fratres cum euangelium legeretur quod dictum est. Ante
diem festum et cetera. Verbum patris filius dei quod pro salute generis
humani verbum caro factum est et habitauit in nobis cupiens instrue
re et informare ad exempla humilitatis sequenda discipulos
et per eos omnes credentes in eum cum appropinquasset hora illa
pessima in qua decreuerat pro salute nostra crucem ascendere et in illa car
ne uilissima quam de intemerata uirgine sumpserat maria tam triste
facere supplicium. ab illo nobili sue temporalitatis extremo conuiuio
surrexit et uestimenta deposuit et aquam in peluim misit et pedes
discipulorum lauit. Et hoc est quod iohannes ait. Ante diem festum.
Talis erat mos consuetudo iudeorum ut diem illum haberent sollep
nem quando illis dominus mare rubrum diuisit in duas partes et dedu
xit eos per medium eius et excussit pharaonem et uirtutem eius in eo de.
Hic est dies ille festus pasce de quo dictum est. Ante diem festum.
Nam pascha interpretatur transitus. nam appropinquabat illud pessimum
pascha quo uerus moyses per mare rubrum debebat transire.
et non post xl. annos sed post xl. dies intrare terram repromissionis
intrare. Ille iudeorum ille dies festus erat umbra quo patres eorum
transierunt de egipto. Sed ille fuit ueritas quo transiuit de hoc
mundo et sic nos fecit deuictis transire ad uirtutes de morte
ad uitam. de mundo ad celum. et pro nobis uictima factus et sacrificium
se ipsum deo patri in ara crucis offerens holocaustum. Ante diem festum.
Quid est o sancte iohannes quod dicis festum. Nonne dies festus.
dies est gaudii et leticie. putas ne dies ille est iocunditatis
et leticie quo agnus innocens imolandus stipite. obprobrium hominum
factus est et abiectio plebis. quando pre dolore sol obscurabatur.